
I. *Historia portionis Intestini Coli propendentis ex Vulnere per 14 annos. Communicante Abrahamo Vater, Phil. & Med. Doct. Prof. Public. Ord. Anat. & Botan. Substituto Wittembergæ, Natur. Curios. Coll.*

VIR quidam *Georgius Deppe* Halberstadiensis annorum xxxiv. castra secutus, anno MDCCCVI. in prælio prope *Ramellies* in Belgio commisso, ab inficto in sinistro hypochondrio vulnere, per hos xiv annos magnam portionem intestini coli, iætu hoc seeti atque inversi, spithamæ magnitudine e corpore prominens gerit.

Intestinum hoc, per vulnus in illud simul penetrans, egressum, interiorem superficiem ad exteriora vertit, & ita in medio cohærens duas portiones efformat, quarum altera versus superiora extensa orificium monstrat, quod ad intestina tenuia spectat, & fæces alvinas educit; altera vero portio ad inferiora propendens orificium ad rectum apertum habet, ut Clysterem injectum per anum reddit. In interiori superficie, nunc ad extra vergente, glandulæ apparent copiosissimæ, albi ac cinerei coloris, verrucarum instar eminentes, & jucundissimum spectaculum exhibentes, quæ inclementius tactæ sanguinem fundunt. Intestinum ita prominens nunquam totum regreditur intra abdomen, ventriculo tamen vacuo quodammodo regreditur, sed ventriculo pleno cibo assumpto longius protruditur, imprimis spiritu retento. Utitur vir ille aqua gelidissima, imo glacie ac nive hyeme permista, ad abstergendas fordes, sine ullo incommodi

commodi sensu; fert etiam intestinum aerem frigidissimum; ab eodem tamen intra se retrahitur & indurescit, ac quodammodo pallescit. Cibos omnis generis perferre potest vir iste; fructus tamen recentes & olera cibis reliquis non miscentur, sed indigesta exeunt, quemadmodum & juscula sine solidis cibis assumpta. Hæc sunt quæ ex relatione ipsius consignavi.

Wittembergæ.
Oct. I. 1720.

Abr. Pater.

Explicatio Figurae.

- A. B. C. D.* Intestinum colon inversum, ex vulnere prominens, & versus superiora & inferiora porrectum.
 - a.* Orificio superius ad intestina tenuia patens, per quod exeunt fæces alvinæ.
 - b.* Orificio inferius, quod dicit ad rectum, & Clysterem per idem infusum per anum reddidit.
 - c. d.* Vestigia vulneris à Chirурgo ampliati; per cuius medium adhuc apertum intestinum prominet.
 - e.* Umbilicus.
 - f. f. f.* Glandulæ copiosissimæ.
 - g.* Regio Inguinalis.
 - h. h.* Dorsum.
 - i.* Coxendix.
 - K.* Regio Lumbaris.
-

